



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Juris autem istius occasione plebs sæpissime peccabat, adeo ut indignos plerunque eligeret. Invitos etiam quandoque rapiebat ad presbyteratum; ut accidit Augustino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

bat, quod multitudini fidelium electionem Diaconorum Apostoli permisissent. Pleroque etiam invitatos ad presbyteratum per vim adigebat.

III. Certum quidem est in Clericorum ordinationibus clerum atque plebem ab Episcopo fuisse consultam olim, ut docet Cyprianus epist. xxxiii. *In ordinandis Clericis, fratres carissimi, solemus vos ante consulere, & mores ac merita singulorum communi voto ponderare.* Vnde Cornelius Papa apud Eusebium lib. vi. cap. xliii. Novatianum vetitus à clero & à plerisque laicis ne in presbyterium adscisceret, hunc solum sibi concedi ordinandum petiit. Hic usus confirmatus est canone xxii. Concilij Carthaginensis tertij: *Vt nullus ordinetur Clericus nisi probatus vel Episcoporum examine vel populi testimonio, id est, utroque. Vel enim conjunctivè accipitur, ut fieri solet in scriptoribus hujus ætatis. Quod explicat Concilium Carthaginense quartum can. xxii. Vt Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut civium conventionem & testimonium querat.*

IV. Sed juris istius occasione plebs sæpissime peccabat, adeo ut indignos plerunque eligeret. Eleganter Hieronymus lib. i. adversus Iovinianum: *Nonnunquam errat plebis vulgique judicium, & in sacerdotibus comprobatis unusquisque suis moribus faveat, ut non tam bonum quam sui similem querat prepositum.* Erin Ezechielem cap. xxxiii. scribit Episcopum & Presbyterum à populo electos & assumptos, ideo formidandum ne accedant indigni. Contingebat aliquando ut invitatos etiam raperet ad presbyteratum, ut accidit in Hipponensi Ecclesia, ubi Valerius episcopatum gerebat: qui cum flagitante ecclesiastica necessitate de providendo & ordinando Presbytero civitatis plebem alloqueretur & exhortaretur, jam scientes catholici sancti Augustini propositum & doctrinam, manu injecta ---- cum tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt; omnibus uno consensu & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente; ut loquitur Possidius cap. liii.

V. Sic à Lampio Episcopo anno cccxiii. apud Barcinonem in Hispania per vim inflammata subito plebis sacratus Paulinus, ut est in epistola xxxv. Augustini. Qua de re ipse Paulinus, qui fuit postea Nolanus Episcopus, hæc scripsit ad Severum epistola sexta: *Nos in Barcinonensi civitate consistimus. Post illas literas quas scripsisti, die Domini quo nasci de carne dignatus est, repentina, ut ipse testis est, vi multitudinis, sed credo ipsius ordinatione correptus, & presbyteratu initiatus sum.*

Tom. II.

Sanctissimi & nobilissimi illius viri, qui natione Aquitanus erat, mihi quoque Aquitano memoria observabatur, quando Barcinone consistens, ejus opem flagitando, ad presbyteratum sponte sum proventus anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo.

VI. Horrendum & perseverantissimum clamorum fremitum Hipponensis multitudinis pro cogendo Piniano ad presbyteratum recitat Augustinus epistola cccxv. Vim quoque sibi illatam à populo Antiocheno conqueritur Chrysostomus ut presbyteratum susciperet.

Quare canonis Laodicensi verbis interdicta est plebi Diaconorum & Presbyterorum electio, nempe ne per tumultus negotium istud ad se pertraheret, invitatos quandoque Clericis & honoratis.

VII. Attamen cum par ratio & potior reperiatur in Episcoporum electionibus, quas plebs aut factiosorum studiis aut pretio accensa turbare solebat, minus dignos sæpe ingerendo, (ut factum in electione Eusebij cathechumeni, ubi ὁχλῶδως χεῖρ παρέσυρε τὸ ἀκρόβητος, turbatum manus evertit jus accuratum, ut loquitur Nazianzenus epist. xxxi. cujus violentiæ similia passim occurrunt exempla) ideo rectissime Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitanus, qui floruit sub ultima tempora Iustiniani, in veteri canonum collectione canonem Laodicensem sic accipit, ut turbis prohibeantur electiones Episcoporum, Tit. vii. collectionis: *μη τοῖς ὄχλοις ἐπιπέσειν ἐκλογαὶς ποιεῖσθαι τῶν ἐπισκόπων*, adducitque statim canonem duodecimum Laodicensem. Eadem fuit sententia Martini Bracarenensis, qui primum caput collectionis suæ, quod inscribit *De electione Episcoporum*, ex hoc canonem Laodicensi decimo tertio componit.

VIII. Quare canonis istius decretum secutus Iustinianus, suis legibus difertè clerum & primates populi solos ad electiones Episcoporum admisit, neglectis turbis: quarum assensus non erat negligendus, sed inter suffragia legitima non censebatur. Sic enim accipienda sunt verba canonis, ut plebis interventio prohibeatur, non autem ut sola ejus violentia arceatur, quemadmodum scripsit vir eruditus Blondellus.

IX. Potest discrimen istud inter honoratos & vulgus, quod insinuavimus, probari ex Theodoreti verbis loquentis de Petro qui successit Athanasio novem annis post tempora Concilij Laodicensi. Ait ejus electionem factam quidem ab Athanasio vivente: *συμψήσαντες ἡμετέροιον, & τῶν ἱερομένων, καὶ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀξιωμασίων, καὶ ὁ λαὸς ὁ ἅπας* &

Ccc ij

Vide Baluzium de vita Marci, p. 106